Multi etenim sicut et nos aliquando fuimus dum carnem in putredinem ossaque in pulverem redigi per sepulchra conspiciunt, reparari ex pulvere carnem et ossa diffidunt, et sic aput se quasi rationabiliter dicunt. Quando ex pulvere homo reducitur. Quando agitur ut cinis animetur. Quibus breviter respondemus quia longe minus est deo reparare quod fuit quam creasse quod non fuit. Aut quid mirum si hominem ex pulvere reficit qui simul omnia ex nichilo creavit. Mirabilius namque est celum et terram ex nullis existentibus condidisse, quam ipsum hominem ex terra reparare. Sed cinis attenditur et in carnem redisse posse desperatur, et divine operationis virtus comprehendi quasi ex ratione queritur. Qui scilicet hec ideo in suis cogitationibus dicunt quia eis cottidiana dei miracula ex assiduitate viluerunt. Nam ecce in uno grano perparvissimi seminis latet tota que nascitura est arboris moles. Constituamus namque ante oculos cuiuslibet arboris miram magnitudinem, cogitemus unde oriendo cepit que ad tantam molem excrescendo pervenit. Invenimus procul dubio eius originem parvissimum semen. Consideremus nunc ubi in illo parvissimo grano seminis latet fortitudo ligni, asperitas corticis, saporis odorisque magnitudo, ubertas fructuum, viriditas foliorum. Contrectatum namque granum seminis non est validum. Unde ergo processit ligni duricia. Non est asperum, unde asperitas corticis erumpit. Non est saporum, unde sapor in fructibus fragratur. Nichil in se viride ostendit, unde foliorum viriditas exivit. Cuncta ergo in semine simul latent, que tamen non simul ex semine prodeunt. Ex semine quippe producitur radix, ex radice prodit virgultum, ex virgulto oritur fructus, in fructu etiam producitur semen. Addamus ergo quia et semen latet in semine. Quid igitur mirum si ossa carnes nervos capillosque reducat ex pulvere qui lignum fructus folia in magna mole arboris ex parvo cottidie semine restaurat. Cum ergo dubitans animus de resurrectione potentia rationem querit, causarum ei rerum questiones inferende sunt que incessanter fiunt et tamen ratione comprehendi nequaquam possunt, ut dum non valet ex visione rei penetrare quod conspicit, de promissione divine potentie credat quod audit. Illa ergo vobiscum fratres karissimi promissa cogitate, queque cum tempore transeunt velud iam dimissa despicite, ad huius resurrectionis gloriam, quam in se veritas ostendit, tota intentione festinate. Terrena desideria que ab auctore separant fugite, quia tanto altius ad conspectum omnipotentis pertingitis quanto mediatorem dei et hominum singularius amatis. Qui vivit et regnat etc.

Lectio secundum Johannem